SCORPIO MARTIANVS

LOGOS·TELARIS·LATINVS

OMNIA · LEG·XIII · ACTA DIVRNA · LITTERATVRA · OPERA MISC · NEXVS · AVCTOR

VOCABVLA·RECENTIORA·VSV·DIGNA

Prosōpobiblium

Tubulus

Īnstagramma / Īnstantia Phōtogrammata

Skȳpē / ἡ Σκῦπή

Salūtātōrium

Gūglum

Pīpiātōrium

Crepitōrium

Redditus

Discordia

L. AMADEVS RANIERIVS CARO LECTORI SALVTEM

Propterea quod vocābulīs externīs sermōne Latīnō sine saltem aliquantulō mūtātiōnis, seu prōnūntiātūs seu ratiōnis scrībendī seu vōcis integrae mūtandae et novandae, ūtī nōbīs nōn licet, hunc indicem variōrum verbōrum ā mē acervātim collēctōrum afferō. Poēta enim Q. Horātius Flaccus in suā *Arte Poēticā* (v. 58) ait "licuit semperque licēbit" nōbīs nova nōmina novāre. Cui jūdiciō assentīmur. Attamen Rōmānōrum antīquōrum aureae aetātis (ab 100 a.C.n. ūsque ad 100 p.C.n. ferē) sevēriōrēs rēgulās novandārum vōcum assiduē assequī nōs oportet. Aemilius Springhetti in suō librō *Īnstitūtiōnum Stilī Latīnī* (1954) bene monuit quandō novanda nōmina licēret:

1. vel necessitās postulat. Cicerō *Orat.* c. 62 haec habet: "Neque enim esse possunt rēbus ignōtīs nōta nōmina, sed quum verba aut suāvitātis aut inōpiae causā trānsferre soleāmus, in omnibus hoc fit artibus, ut, quum id appellandum sit, quod propter rērum ignōrantiōnem ipsārum nūllum habuerit ante nōmen, necessitās cōgat aut novum facere verbum, aut ā similī mūtuārī"

2. vel suādet singulāris ūtilitās, e.g. Cic. 3 *Dē Or.* 38, 152 "ad illūstrandum atque exōrnandum ōrātiōnem" et "quae est poētārum licentia"

3. nōnnisi ā virīs ācrī jūdiciō praeditīs et linguae Latīnae perītissimīs exīstimārī

4. parcissimē novantur, ut ex dictīs cōnstat

5. ex optimō fonte dūcuntur, quī fōns Rōmānīs erat praesertim lingua Graeca, nec īnsolentius fiunt, sed ex analogiā cum aliīs vocābulīs ab optimīs scrīpttoribus fictīs et novātīs, ut vidēlicet parcant auribus et cōnsuētūdinī.

Quibus modīs veterēs Rōmānī scrīptōrēs rēs novās significābant:

1. vel per circuitiōnem verbōrum seu circumlocūtiōnem — v.g. "Gūglō quaerere" = *to google,* "auctor Tubulī " = *YouTuber*

2. vel per analogiam significātiōnis **propriae**, i.e. propriam alicuius vocābulī significātiōnem īnflectendō ad aliquid simile exprimendum, e.g. "Salūtātōrium"

3. vel per analogiam significātiōnis **trānslātae**, i.e. sēnsum vocābulī trānsferendō ad aliud quid signficandum, quod tantum per trānslātiōnem simile sit, e.g. "Pīpiātōrium"

4. vel per verbōrum novātiōnem, i.e. nova verba Latīna findendō, secundum tamen indolem et lēgēs sermōnis Latīnī. Quod quattuor ferē modī fīēbat:

- imitātiōne seu per onomatopoeiam

- dērīvātiōne analogicā, e.g. "Nūntiātōrium", "Discordia", "Crepitōrium"

- compositiōne analogicā ex vōcibus prīmitīvīs, e.g. "Prosōpobilium"

- mūtuātiōne ex aliā linguā, e.g. "Skȳpē", "Gūglum"

Nequidem possumus, ut mōre vernaculōrum saepius fit, verbīs aliēnārum linguārum vellet nōllet sine mūtātiōne propriā in sermōne nostrō ūtī; Anglī loquuntur dē *résumé* et *momentum,* Italī dīcunt *Facebook* et *jazz*. Aemilius īdem Springhetti nōs monet neologismōs nostrōs semper referendōs in cāsū "cum terminātiōne et orthographiā Latīnā quantum fierī potest, ut prōnūntiandī ratiō quam exāctissimme referātur." Hāc ipsā dē causā, ut in pūriōrem Latīnitātem colendam animōs intendāmus, "Facebook," "Twitter," "Skype" nōn licet scrībere et eōdem tempore Anglicō mōre prōnūntiāre sed saltem "Feisbuc" item "Tviter" et "Scaep" scrībere, quae prae turpitūdine litterārum repente respuimus; idcircō multō magis exīstimāmus "Prosōpobiblium," Pīpiātōrium" — atque etiam "Skȳpē" sed Latīnissimē prōnūntiandum, cuius vōcis sonī in "Scyllē" et "syncopē" reperīrī possunt.

Fruāminī igitur ut spērō sequentem indicem, cui nova nōmina novanda etiam in futūrō addam.

— datum Aquelliae, Kintnersvīllae in Pennsylvānia 5° diē Jānuāriī mēnsis 2019 annī.

P.S. Summopere moneō ut Lexicon Morgan-Owens īnspiciātis quod aestimō esse fontem optimae Latīnitātis ad vocābula recentiōra invenienda; ubi poterō, ut hic index cōngruāt cum eō Lexicō operam dabō.

· A ·

acroāma, acroāmatis (dēclīnātur secundum mōrem Graecum prout "epigramma, epigrammatis") — vulgō *podcast*, quae vōx pertinēre potest sīve ad seriem ipsam ēmissiōnum audībilium sīve ad singulōs sermōnēs. ē linguā Graecā "id quod aurem dēlectat", ā Terentiō Tunberg prōpositum Jul. 2018.

- acroāticus — adj.

- acroāmaticus — adj.

- acroāmatārius — adj.

album, -ī — = **quadrum**, q.v.

Androīdēs, -ae (dēclīnātur secundum mōrem Graecum prout"comētēs, -ae") - generis cuiusdam tēlephōniī systēma internum sīve ipsum tēlephōnium gestābile hōc systēmate ūtēns, ut Graecē ὁ Ἀνδροειδής.

audībilis — adjectīvum, saepius ab Alexandrō Vērōnēnsī adhibitum, quod vocābulum etiamsī inter scrīptōrum aureae aetātis litterās nōn invenītur nihilōminus aptissimum ad sēnsum Anglicum *audible* vel *audio*.

· C ·

computātōrium, -ī — Anglice *computer*. Caveāt lēctor nē "computātrum" dīcas, propter inūsitātum fīnem *-ātrum* quod temporibus Classicīs (utpote ab annō 100 a.C.n. ūsque ad annum 100 p.C.n) jamprīdem ā Rōmānīs ad nova verba novanda nōn diūtius ūsūrpābātur.

- **computātōrius, -a, -um, -is, -e** — adjectīvum.

- **computātōriolum, -ī,** vel **computātōrium portābile** — Anglice *laptop*.

coopercuIum, -ī — Anglicē *folder*. Catharīna Ochman **"fasciculus"** et "**thēca"** (q.v.) prōposuit.

Crepitōrium, -ī — vulgō *Snapchat,* a L. Amādeō Rāniēriō (auctōre huius sitūs) prōpositum.

· D ·

dēprōmō, dēprōmere, dēprōmpsī, dēpromptus — Anglicē *to download*.

- **prōmō, prōmere, prōmpsī, prōmptus —** Anglicē *to upload*.

Discordia, ae — vulgō *Discord*, hoc est īnstrūmentum computātōrium et tēlephōnicum quō participēs nūntiīs scrīptīs vel vīvā vōce colloquī possunt.

documentum, -ī, ēlectrōnicum vel **computātōrium** — = Anglice *file* vel *document*.

· F ·

fasciculus, -ī — Anglicē *folder*. (prōposuit Catharīna Ochman).

fenestella, -ae — Anglicē *window*.

· G ·

garrītōrium, -ī — Anglicē *chatroom, live chat, chatbox* etc., per analogiam cum **Salūtātōriō** (q.v.) novātum.

Gūglum, -ī (saepius ēnūntiātur **Gūgol, -ī**, etiam **Gūgolum, -ī** vel sine syncopē **Gūgulum, -ī**) — vulgō *Google* est inquīsītōrium rētiāle saepenumerō ab hominibus adhibitum.

- **Gūglō quaerere** vel **exquīrere (aliquid)** vel **inquīrere (in aliquid)**= Anglicē *to google something*

- **Gūglī Sermōcinātōrium, ī** — vulgō *Google Hangouts*, applicatio computātōria, ab auctōre L. Amādeō Rāniēriō novātum.

· I ·

inquīsītōrium, -ī, rētiāle — īnstrūmentum quaerendī indicia in rētī omnium gentium, e.g. Gūglum (q.v.).

īnscrībō, īnscrībere, īnscrīpsī, īnscrīptus — Anglicē *to register*.

— schēdula īnscrīptiōnis — Anglicē *registration form*

Īnstagramma, -atis vel **Īnstantia, -ium, Phōtogrammata, -matum**— vulgō *Instragram,* cuius etymologia nōn improprīē tractātur a phōtographēmatīs vel **phōtogrammatīs** quae **īnstant**, quae urgent, quae postulant, quae in hōc temporis mōmentō fīunt.

īnstruō, īnstruere, īnstrūxī novam versiōnem in computātōrum, tēlephōnium, etc. — Anglicē *to update*.

īPhōnē, -ae (dēclīnātur secundum mōre Graecō ut "nymphē, -ae") — nōmen prō tēlephonio gestabili joci causa ab auctore L. Amadeo Ranierio fictum graecizante pronuntiatione vocis Anglicae *iPhone*, sic ut esset ἡ ἴΦωνή.

· M ·

māchina, -ae, impressōria, -ī — Anglicē *printer*.

malleolus, -ī (etiam **plēctrum**, **-ī**) — Anglice *key*. Vidē **plēctrologium**.

mūsculus, -ī — Anglice *mouse*. Ratiō ūtendī: Haec vōx "mūsculus" etiam apud Rōmānōs sēnsū trālātō alia significāre poterat, utpote "scypha", "nervī", etiam bēstiam quandam marīnam.

· N ·

Netflix, Netfligis — Netflix. Ratiō ūtendī: nōmina nōnnūlla Celtica e.g. "Vercingetorix, -igis," "Orgetorix, -igis," "Dumnorix, -igis" etc., nōn sēnsū ex etymologiā dētractō sed sonō tantum in Latīnum sermōnem sunt inducta, tum dēclīnābantur secundum mōrem Rōmānum. Ut suprā dīximus, nōn licet verbō sine dēclīnātiōne ūtī Latīnē, nē in pessimam barbariam labāmur.

Nūntiātōrium, ī — vulgō *Messages* vel *Messenger*, vōx enim vulgāris ipsa dē īnstrūmentō ipsō pendet; e.g. **īPhōnae Nūntiātōrium** vel **Nūntiātōrium Prosōpobiblicum**.

· O ·

Oxypaedia, -ae — vulgō *Wikipedia*. (Catharīna Ochman prōposuit.)

· P ·

Pīpiātōrium, -ī — vulgo *Twitter*.

- **pīpiō, pīpiāre, pīpiāvī, pīpiātus** — vulgō Anglicō *to tweet*, i.e. in Pīpiātōriō aliquid scrībere.

- **pīpiātus, -ūs** (rarius **pīpiātum, -ī**) — vulgō Anglicō *a/the tweet*, i.e. nūntiolum in Pīpiātōriō scrīptum.

plēctrologium, -ī — Anglice *keyboard*.

P.O.D.C.A.S.T. — = **acroāma** (q.v.) ēlectrōnicum, acronymon ab auctōre L. Amādeō Rāniēriō jocī causā retrōrsum fictum prō "**P**rogramma **Ō**rātiōnum **D**ēductārum **C**omputātōriīs **A**udībile **S**impliciter **T**rānsmissum."

praesēntī trānsmissiōne — adverbium ad Anglicum "live"

prōmō, prōmere, prōmpsī, prōmptus — Anglicē *to upload*.

- dēprōmō, dēprōmere, dēprōmpsī, dēpromptus — Anglicē *to download*.

Prosōpobiblium, -ī vel **Prosōpobiblion, -ī** — vulgō *Facebook*, ē rādīcibus Graecīs πρόσωπος "faciēs" et βιβλίον "libellus", "parvus liber", fertur ab Alosiō Miraglia inventum esse nē discipulī suī diūtius eam vōcem barbaram ē vernāculō "Facebook" jactārent, cuius turpitūdō nūllī placēbatt.

- **Prosōpobiblicus, -a, -um** — adjectivum pro rebus ad Prosopobiblion pertinentibus; e.g., "Sumusne jam amici Prosopobiblici?" "Nondum, at petitionem amicitiae Prosopobiblicae ad me mittas ut fiamus."

- **Nūntiātōrium, -ī, Prosōpobilicum** — vulgō *Facebook Messenger*.

Prosōpochronium, -ī vel **Prosōpochronion, -ī** — vulgo *FaceTime* (hoc est instrumentum vel applicatio vel programma viva voce (et facie) sermocinandi telephonice inter iPhonas), e radicibus Graecis πρόσωπος "facies" et χρονίον "parvum tempus".

· Q ·

quādrum, -ī — Anglicē *screen*.

· R ·

ratiō, -ōnis — Anglice *account*; e.g. "Mihi sunt duae rationes Pipiatoriae sed solum una ratio Prosopobiblica."

- [**in**] **ratiōnem ineō, inīre, inīvī, initus** — Anglice *to log into an account*.

- [**ē**] **ratiōne exeō, exīre, exīvī, exitus** — Anglice *to log out of account*.

Redditus, -ūs — vulgō *Reddit*.

- **Redditor, -ōris** — vulgō *Redditor*. Redditōres enim sunt iī quī apud Redditum commentāriōs scrībunt.

Rēte, -is, Omnium Gentium (vel **Rēte Tōtīus Mundī** vel **Tēla Tōtīus Terrae** etc.), abl. **Rētī** ... e.g **in Rētī** — Rēte sīve minusculā litterā **rēte** vulgō nuncupātur *Internet* vel *the Web* inter alia multa.

- **rētiālis, -is, -e** — adjectīvum.

· S ·

Sermōcinātōrium, -ī — = īnstrūmentum rētiāle vel tēlephōnicum vel computātōrium vel ēlectrōnicum ut cum aliquō homine sīve aliquibus hominibus colloquāris scrīptīs litterīs vel vīvā vōce vel etiam faciē vīsā, v.g. Skȳpē, Prosōpochronium, Gūglī Sermōcinātōrium, Salūtātōrium, Discordia, vel etiam Nūntiātōrium Prosōpobiblicum (quae vidēte).

Skȳpē, -ae (dēclīnātur secundum mōrem Graecum prout "Aphrodītē, -ae") — ab auctōre L. Amādeō Rāniēriō fictum graecizante prōnuntiātiōne vōcis Anglicae *Skype*, velut esset ἡ Σκῦπή.

subscrībō, subscrībere, subscrīpsī, subscriptus — Anglice *to subscribe*.

- **resilīre + dat., resilīre ex aliquō (ē canāli,** etc.**)**— Anglice *to unsubscribe*. (Catharīna Ochman prōposuit.) Ex Lexicō Morganiānō: « contract: back out of, withdraw from, go back on, renege on (a contract, treaty, promise, etc.) (a contractu, foedere) resilire (DIG. 18, 2, 9: "quid tamen, si hoc erat nominatim actum, ut liceret resilire emptori meliore condicione allata?"; 357: "iidem a foedere inito perfide resilientes") »

· T ·

tēlephōnum, **-ī**, vel **tēlephōnium, -ī** (sī parvum) **[gestābile]** — Anglicē *[cell]phone*

tessera, -ae, sēcrēta — Anglicē *password* ; melius autem cēnsētur **verbum sēcretum** (q.v.). Mīlitēs enim Rōmānī ut intrārent castra verbum sēcrētum in tabellā scrībēbant, e.g. "tessera per castra ā Liviō cōnsule data erat" Liv. 26, 46, 1; 7, 35, 1; 7, 36, 7; "mīlitem levī tesserā colligī posse" Amm. 25, 7, 2 al.

thēca, -ī — Anglicē *folder*. (prōposuit Catharīna Ochman).

Tubulus, -ī — vulgō *YouTube* ē vōce"tubus" (fōrmā dīminūtīvā). (Anteā vōce "TūTubulus" ūtēbar, sed propter ea quae in *Īnstitūtiōnibus Stilī Latīnī* ā Springhetti lēgeram, nōn diūtius bonae Latīnitātis esse stilī cēnsuī, quum tālia verba numquam hōc modō novārī possint. Nihilōminus illum **Tubulum** satis probum esse vocābulum sēnsū trālātō exīstimō, namque "YouTube" suam etymologiam ab vernāculō Anglicō *the tube = television set*, quoniam ūsque ad annōs 1990 decennī, ea īnstrūmenta ēlectrōnica trāns magnam longinquitātem imāginēs vīvās trānsmittentia tubīs cathodī radiī, Anglicē *cathode ray tube*, exstrūcta erant. Satis īrōnicē, eōdem tempore atque ipsa īnstrūmenta nōn jam ex iīs tubīs cathodī radiī quī vetustāte minus ūtilēs habēbantur, vērum ubīque quadrīs plānīs LCD, *YouTube* in mundum rētiālem advēnit. Quoad **Tubulum**, tubus quīlibet condūcit aliquid ē fonte ad fīnem, quod quidem etiam apud Tubulum fit.)

- **auctor, ōris,** vel **auctrīx, -īcis, apud Tubulum** vel **auctor Tubulī / auctrīx Tubulī-** Anglicē *YouTuber*

· S ·

Salūtātōrium, -ī — vulgo*WhatsApp*, nūntiātōrium tēlephōnicum; ab auctōre L. Amādeō Rāniēriō prōpositum. Ratiō ūtendī: quoniam *WhatsApp* ab Anglicā junctūrā *"What's up?"* venit, quae Latīna salūtātiō "quid agis?" habētur, hoc nōmen optimē et Latīnissimē redditur "Salūtātōrium," quō in locō domūs Rōmānae patrōnēs suōs clientēs salūtābant.

scrībō, scrībere, scrīpsisse, scrīptus — Anglicē *to type* ; sed **scrībere** quōlibet īnstrūmentō (digitīs, computātōriō, tēlephōnō, stilō, calamō) satis vidētur.

· V ·

verbum sēcrētum — Anglicē *password;* fortasse melius quam **tessera sēcrēta** (q.v.) quod vocābulum aliī praeferunt.

Vicipaedia, -ae — vulgō *Wikipedia*. Catharīna Ochman "**Oxypaedia**" prōposuit (q.v.).

© MMVII-MMXIX L·AMADEI·RANIERI